



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptic S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

Series seu distributio Capitum IIdæ Partis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

Series seu distributio Capitum II^{dæ} Partis.

Sicut divisimus primam partem Apocalypseos in suas Visiones, eò quòd S. Joannes ingeminet ubique vocem illam, *Vidi*: sic hanc secundam partem, eandem ob rationem, dividamus in septem Visiones primarias: quarū sex hujus sunt mundi aut temporis; sūntq; ejusmodi ut suam singulārē materiam exhaustant integrē: id quod sedulō est observandum; & in quo posita est hujus 2^{dæ} Partis, ordinatissima est enim, dispositio & artificium. nempē in eo quòd in unaquaq; Visionum, præterquam quòd I. & II. invicē succedant & connectantur, absolvitur ista materia pervidendo usq; ad finem qui est dies Judicii. quibus accedit VII. Visio Beatitudinis post Judiciū in æternitate.

Quòd si quis maluerit plures pauciores sve hujus Partis numerare Visiones, dividat prout libuerit: dummodo ne incipiat aliter quam à Cap. 12. nam cum Tuba septimā finiri Imam Partem & illius Visiones demonstratissimū est.

Ergo I. Visio de Ecclesia est militante; per hieroglyphicon Mulieris: & de persecutione Draconis.

Hanc Visionē excipit II. de suscitatione duarum Bestiarum contra Ecclesiam & contra patientiam Sanctorum ejus. Hæ duæ Visiones cohærent inter se, & continuātur videndo usq; ad tempus Judicii. absolvuntur Capitibus tribus; 12. 13. & 14. quorum in primo, de Muliere & Dracone, in altero, de Bestiis, in tertio, de patientia Electorum.

III. est Visio de 7. Angelis habentibus 7. plagas iræ Dei, 3. 7. Angelis cum quā effundunt ex suis phialis: quarū septima est dies nō viſſimus Judicii. Capitibus 15. & 16.

IV.

Visiones
septem,
hujus se-
cundæ
Partis.

Materia
Visionū:
Primæ,
antipa-
thia inter
Mulierē
& Dra-
conem.
Secundæ
item in-
ter duas
Bestias
& servos
Dei.
3. 7. An-
geli cum
phialis.

§ PROPHETIÆ APOCALYPTICÆ

4. Mulier insidens Bestiæ.

5. Sponsus viator.

6. Draconis cū exercitu suo clades.

7. Jerusalem Beata, sponsa Agni.

Concinnitas ordinis in Apocalypsi.

IV. Visio est de Babylone Civitate, quæ insidet Bestiæ: & de damnatione ac Væ novissimo ejus Civitatis: per hieroglyphicon Mulieris meretricis. Capitibus 17. & 18.

V. Visio est de præparatione Sponsæ nuptæ: & de ultima victoria Sponsi contra Bestiam & exercitus congregatos: quando Bestia & Pseudopropheta mittuntur in stagnum ignis. Capite 19.

VI. Visio integra de Dracone. quòd abhinc mille annos ligatus: quòd solutus seducat gentes & congreget Gog ac Magog per quatuor oras terræ. Exercitus, qui obsidet Civitatem dilectam, devoratur igne de Cœlo: & Diabolus in illud idem mittitur stagnum in quo Bestia & Pseudopropheta æternū. Atq; hic est omnium pugnarum finis, dies Judicii. Capite 20.

Coronidis loco additur VII. Visio de Ecclesia triumphantे: in schemate Jerusalem Civitatis Beatæ, Sponsæ seu Uxor Agni. Capitibus 21. & 22.

Capite 22. v. 12. Epilogus qui est prosopopœia JESU. & v. 18. contestatio S. Joannis: imploratio adventus Christi; & gratiæ ejus.

In hac distributione Apocalypseos nullum ὕστερον πρότερον, seu nullæ inveniuntur hysterologiæ, quas affinxerunt huic Libro: sed est ordo accuratus & admirabiliter concinna dispositio; digna Christo qui est Auctor, Angelis qui ministri Visionum, pondere ipso rerum quæ visæ, Joanne cui ostensæ, Ecclesiis ad quas scriptæ. Nam in prima quidem Parte servatur ordo rerum gerendarum: in hac secunda ordo Visionum, quarum unaquæque suam tractet absolvatque materiam.

Et hactenus series secundæ Partis Apocalypseos.

TRACTA-

